



**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangeliō depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resurrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 17. De ijs, quæ Christus in domo Caiphæ passus est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](#)

*vus est, non ex sententijs hominum, sed in-
dicio suo.*

6. Lingua maledicorum & detrac-
torum nihil omnino possunt nocere; quin po-
tius, si velimus, plurimum nobis prodeesse
possunt: si quidem cum humilitate in no-
bis angeant, meliores nos faciunt.



MEDITATIO DECIMASEPTIMA.

DE IIS QVAE CHRISTVS
in domo Caipha passus est.

EVANGELIVM.

Matt. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.



VNC viri, qui te-
nebant Iesum ceden-
tes eum colaphis, ex-
puerunt in facie eius,
& velauerunt eum.

Alij autem palmas in faciem eius
dederunt, & interrogabant dicen-
tes: Prophetiza nobis Christe, quis
est, qui te percussit? & alia multa
blasphemantes dixerunt in eum.

FIGV-

FIGVRAE.

PHILISTEI cūm Samsonem lu- Indic. 16.
minibus orbassent, iussent illum
coram se ludere; & in ipsum scouma-
ta iaciendo se recreabant.

PROPHE TIAE.

CORPVS meum dedi percutienti- Isiae. 50.
bus, & genas meas vellentibus.

Faciem meā non auerti ab increpanti- Ibid.
bus & conspicientibus in me.

Faciem tuam velabis, quia porten- Zach. 12.
tum dedi te domus Israel.

Abominantur me, & faciem meam Iob. 30.
conspuerent non verentur.

CONSIDERATIONES.

POSTEA QVAM improbi illi mi- 1. Punctū.
nistri responcionem Christi audie-
runt, cūm tam altam veritatem non ca-
perent, effundunt furorem suum in ip-
sum, vellentes barbam, faciem conspu-
tantes, dantes illi alapas, blasphemātes,
deridentes, & omni genere iniuriarum
vexantes. Erat mansuetissimus I E S U S
quasi ouis, quæ coram tondentibus se
non conquereretur, ac ne os quidē dul-
cissimum aperiret. Sed cogita quam acer-
bor penetrauerit misericordissimum

cer

46 MEDITATIONES

cor I E s v , cùm sublatis parumper liuidis oculis, & circumspectans, num quis in tanta turba foret, qui olim affectus aliquo beneficio, vel audita ipsius doctrina saltem compateretur sibi, neminem vidit, nisi dilectum Ioannem solum; qui non sustinens aspicere iniurias, & illusiones Magistri sui, stabat alicubi in angulo amare flens. Vedit & Petrum inter ministros calefacientem se, disimulante se eius discipulum, & paratū mox ipsum negare. O infinita & verè ignita bonitas, quam nec tot inimicorum iniuriæ, nec frigidissima nostræ ingratitudinis glacies, minuere & tepidorem efficerent potuerunt.

Galat. 3.

Iudei cùm ad maius ludibrium obligassent oculos Saluatoris, ut olim Philistæi Samsonem, hoc modo illi Christū ludificabant. Vide ut Sapientia Patris amore nostri quodammodo stulta facta sit. Ut enim nobiscum sapientia & scientia suæ thesauros communicaret, nostram sibi stultitiam assumfit, quemadmodum etiam ut nos hæredes faceret æternæ benedictionis, assumfit sibi nostram maledictionem.

Vide quomodo Deum amor nostri excœauerit: Nam pro amoris in nos sui immensitate, nec videre, nec scire vult peccata

peccata nostra, sed cum magna misericordia dissimulat expectans pœnitentiam. Vides, ut hinc magnitudo amoris oculos illi claudat & manus liget, ne nos puniat: inde verò vt videat, & asperè vindicet, non in nobis, sed in seipso omnia, quibus nos in ipsum peccauimus. O inaudita bonitas! ô verè paterna viscera! quis vñquam audiuit, quenquam subire mortem pro ipsis, qui eam inferunt? Itaque vt nullum magis horrendum nafas cogitari potest, quām vt eò impietatis homo procedat, vt manus immittat in Deum: sic nihil illa bonitate & caritate excellentius intelligi potest, qua Deus tot supplicia perferre voluit, pro ijs ipsis creaturis, à quibus ita cruciabatur.

Aspice amabilissimam illam eximia specie faciem totam liuidam, crudelissimatum manuum: verbera, vestigij impressis præferentem, turpissimis fædatam sputis. Vides illam diuinam faciem, quæ tantis in cælo honoribus afficitur, cuius aspectus lœtificat totam ciuitatem Dei, iam in terris ita deformatam & contemtam, vt impij illi satellites, nullum putarent locum aptiore, ad turpes sputationes excipiendas, quām facie Saluatoris. Infelices Iudæi non horretis

148 MEDITATIONES

retis conspurcare , & tanto contemptui
habere illam figuram & imaginem Pa-
tris: & sceleratis manibus instar inci-
pij verberare Dominum mundi? Sed ni-
mirum, mi Domine, non tam illi satel-
lites tantorum ludibriorum & contu-
meliarum autores erant, quam tumida
mea superbia, perturbationes immoder-
atæ animi mei, oris murmurationes, o-
pera deniq; iniqua mearum manuum.

Tu vero anima mea, si tum coram
hos despectus & illusiones tui Redem-
ptoris spectasses, quid quæso egisses?
quo amore illū amplexatus esses? quan-
to cum pietatis sensu, deformatam fa-
ciem lacrymis abluisses? Spes cordis mei
I E S V , quis mihi det, vt ego pro te pa-
tiar? nam ego sum qui peccavi, non tu.
O speciosissime forma præ filijs homi-
num, vnde tibitanta deformitas? Verè,
vt Propheta loquitur, factus es ob pec-
cata mea, *opprobrium hominum, & abi-
ctio plebis.* Erubesc o homo superbe,
qui quod sis compositus & amictus exi-
guo cinere & luto, videris tibi esse ali-
quid, neque pati potes, vt ab aliquo tan-
garis. Vide quām propter te sit factus
humilis filius Dei & gloria cæli: quan-
tum illa excellens Maiestas tua caussa
contemptionis & despectus sustineant?

CQL

DE PASSIONE DOM. 149
COLLOQVIVM.

ROGBABIS Christum D.N. quoniam tui amore non recusauit pati, ut diuina ipsius facies impuris Iudæorum sputis fædaretur, sanctissimi oculi velarentur, ipse denique tamque indignis modis illuderetur: ut tibi det gratiam, qua mētem factam ad imaginem & similitudinem ipsius ita puram & nitidam serues, ut nullam ei cogitando, loquendo, agendo maculam aspergas. Dignetur item à corde tuo remouere velum ignorantiae & animi ingratitudinis: ut intelligens quantū pro ihs, quae tua causa fecit & tulit, ipsius Maiestati debeas. in posterum maiori amore & diligentia ipsius honori seruias.

DOCUMENTA.

1. **F**ACIEM Christi conspiciunt quoniam impuris cogitationibus aut cupiditatibus animam suam, id est, Dei imaginem fœdant.

2. Idem faciunt, qui Deo suam offerentes gratiam, aut sanctis inspirationibus aliquid imperante, ipsi tamen ne consuetas imperfectiones deserere cogantur repugnant, & à se rejiciunt.

2. Diuinam quoque faciem Tesci deturant, qui sine reverentia & sensu pietatis, non

non expurgatis ex animo omnibus peccatorum sordibus, impuro ore, sanctissimum Domini corpus accipiunt.

4. Illudimus Christo cum vel pauperes, vel alios Dei seruos contemtui & ludibrio habentus.

5. Christo per linguam faciunt contumeliam, qui vel non satis reverenter de rebus sacris loquuntur, vel cum sint religiosi more secularium loquuntur, vel de proximo ea dicunt, que nihil ad audientium fructum faciant.

6. Oculos Christo obligant, qui factis excusationibus suas tegunt imperfectiones: quiq[ue] sine verecundia & timore Dei tam audacter peccant, ac si non videret Deus.

7. Tunc item claudimus oculos Christo, cum Superiores nostros volumus esse eacos; nos ipsos scilicet bono lumine pradiros id quod facimus, cum laboramus ut superiores se nostris, non nos illorum iudicijs nosmet accommodemus.

ME-